

reipublicae faciem describunt. Termini atque diuisiones veteris Saxoniae e tabula perspicui possunt.

Saxonia

Cismarina

Transmarina
quae Anglia.

Transalbina

Cis Albina

Holfatia, Sles-
uicum, Stor-
maria, Dith-
maria, Wa-
gria, Lauen-
burg.Westphalia:
a Visurgi ad
Rhenum.Angria:
interme-
dia ad Her-
cyniam.Ostphalia a
Visurgi ad
Albim.

De PIRATICA (g) Saxonum in Bataviam legi possunt Bucherius, Vbbo Emmius, Suffridus, Vossius alii. BRITANNICAM expeditionem describunt Sheringham, Langhorn; ex veteribus Beda. An iure ab Angris Saxonibus Britanni subacti fuerint? e dogmate Grotiano. De ITALICIS referunt Sabellicus, Blondus, Sigonius. THURINGICA ex instituto Sagittarius tractat. De singulis inter differendum.

§. III. Verum enimvero post tot victorias, a bellicosissimis gentibus reportatas, Saxones demum in praedam Francorum an. 775. concesserunt. Carolo M. haec gloria seruata esse videbatur, vt, quos compescere Francorum reges nequiverant, ipse suis viribus subiugaret, vniuersa Saxonum ditio in prouinciae formam redacta. Triginta, & quod excedit, annorum praelia habuerat cum Saxonibus victor: donec rebellium ciuium dux WITTEKINDVS, quem magnum dicunt, ad obsequium eius rediret, eierato gentilismo, sacris Christianorum an. 785. (h) initiatus. Huius exemplum plures alii deinceps sequuti sunt, atque natio demum vniuersa studio literarum & sacris ritibus probe exulta.

Causae

(g) Sec. III. ac sequentibus oram Galliae quoque piratica infestarunt. Ideo Romani constituebant littorum Praefectos, ex quibus Nannetes fuit, quem Ammianus Marcellinus l. 27. c. 8. maritimi tractus Comitem vocat. Et Eutropius in Diocletiano scribit: Carausius mare accepit, quod Franci & Saxones infestabant.

(h) Schurzfl. in Diss. de Wittek. §. XIV. in eo, inquit, omnes consentiunt, Wittekindum A. C. 785. Christi sacris initiatum.